

Johann Wilhelm Baier Christian Zeidler

Disputatio Theologica, De Statu pie defunctorum pacifico : Ex dicto Esaiae XXVI. comm. 20. Gehe hin/ mein Volck etc. Vade, popule mi, intra in cubicula tua. &c,

lenae: Literis Müllerianis, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787614998>


Druck Freier  Zugang



106.

Fa-1092 (106.)

36
35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1



XVII.

L. N. J. A. M. C. A.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
De

Statu piè defuncto- rum pacifico,

Ex dicto

ESAIE XXVI. comm. 20.

Sehe hin/ mein Volk etc.

Vade, popule mi, intra in cubicula tua. &c.

PRÆSIDE

DN. JOHANNE GVILIELMO BAIERO,

SS. Theol. Doct. & Profess. Publ.

Dno. Mecenate, Patrono, ac studiorum meorum Promotore
æternum devenerando,

publica ventilationi subjicienda

ab

AUCTORE & RESPONDENTE

CHRISTIANO ZEIDLERO,

Ronnenburgo-Misnico

SS. Theol. Studiofo.

ad d. Junii A. C. MDCLXXXVI.

In Auditorio Theologorum

Horis Consuetis.

J E N Æ,

LITERIS MÜLLERIANIS.

36
5
3
29
28
27
26
24
23
22
21
20
17

6

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

ALBERTO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM,
LANDGRAFIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,
PRINCIPI COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI MARCÆ
ET RAVENSBURGI, DYNASTÆ RAVENSTEINII,

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO.

UT ET
SERENISSIMÆ PRINCIPI AC DOMINÆ,
DOMINÆ

MARIÆ ELISABETHÆ,

DUCI SAXONIÆ JULIÆ, CLIVIÆ & MONTIUM,
NATÆ DUCI BRUNSWICENSI & LÜNEBURGENSI, LAND-
GRAFIA THURINGIÆ, MARCHIONISSÆ MISNIÆ, PRIN-
CIPIS COMITI HENNEBERGIÆ COMITI
MARCÆ & RAVENSBURGI, DOMINÆ
RAVENSTEINII,

PRINCIPI AC DOMINÆ MEÆ CLEMEN-
TISSIMÆ,


*Has Primitias Academicas, ad testandam pietatem &
gratissimum pro munificentia Ducali affectum sacræ esse volo
Suarum Serenitatum*

humillimus cliens

CHRISTIANUS ZEIDLER,
Ronnenburgo-Misn.



PRÆFAMEN.



Acturi breviter de felici piorum ex hâc vita dis-
cessu, substernemus fundamenti loco dictum ex
Esaia XXVI, comm. 10. quod in fontibus æque
ac versionibus ita habet:

Textus authenticus.

לך עמי בא בתוךך וסגר דלתותי בערך חבי כמעט-רנש
עד-יעבור-עם:

Versio Septuaginta-Viralis.

Βάδιζε λαός μου, εἰσελθε εἰς τὸ ταμείον σου, ἀποκλείσον τὴν θύραν σου.
ἀποκρύβουθι μικρὸν ἴσον ὄσον, ἕως ἂν παρέλθῃ ἡ ὄργη κυρίου.

Versio Vulgata.

Vade populus meus, intra in cubicula tua,
claude ostia tua super te, abscondere modicum
ad momentum, donec pertranseat indigna-
tio.

Versio Lutheri.

Gehe hin/ mein Volk / in eine Kammer / und schließ
die Thür nach dir zu / verbirge dich ein klein Augenblick /
bis der Zorn fürüber gehe.

A 2

Versio

Versio Ditenbergeri.

Gehe/ O mein Volk/ hineta in dein Kämmerlein/ schließ
die Thür nach dir zu/ und bleib ein klein Weil/ nur ein Augen-
blick darinn verborgen / bis der Zorn vergehet.

Versio Judaeorum Amstelodamensis

Germanica reddat ita.

Gehe mein Volk/ kom in deine Kameron/ und schließ de-
ne Thüren umb dich zu/ verberg dich as ein kleinen Augen-
blick/ bis der Zaren werd überfahren seyn.



Isto huic iam ita immorabimur, ut C. I. verba ejus Philo-
logicè explicemus, subjiciamus C. II. analyfin Logicam.
C. III. deducamus inde quæstiones Theologicas & C. IV.
brevissimè monstremus usum practicum. Faxit Deus,
ut feliciter fiat.

CAPUT I.

COMPLECTENS EXEGESIN
PHILOLOGICAM.

§. I.

וָדַד) *Vade*, Imperativus à verbo וָדַד quod propriè significat, à
loco in locum se conferre, Gen. XXII, 2. c. XXVII, 13. quæ quidem
mutatio loci aliquando simul importat aut includit mutatio-
nem conditionis suæ, prout 1. Sam. XX, 42. dicitur וָדַד לְשָׁלוֹם
abi in pace, ubi David discedens mutabat simul conditionem
aulicam, consentiente Jonathane, propter odium insidias-
que Saulis. Sic Gen. XII, 2. dicitur, וָדַד לְךָ מִן הָאָרֶץ
*Vade Tibi ex-
terratua*, ubi designatur mutatio tum regionis tum religio-
nis. Sic etiam h. l. sensus est, muta, mi popule, vi-
tam tuam cum morte: solatium tamen habebis. Quan-
quam nec aliena prorsus sit significatio hujus imperativi,
quam

quam B. Geierus observat ad Psalm. XXXIV, 12. ubi ait: *Est hic Imperativus saepius ad verbum exhortantis, ceu constare potest ex Gen. XIX, 32. non enim tam motus vel itio corporis, quam excitatio mentis postulatur, ut promsi adplicemus animum ad ea, quae sequuntur; quâ ratione hoc versu sensus foret: age, mi popule, veni in cubiculum tuum. Quod in Annotationibus Anglic. ita porro declaratur: Ego DEUS vobis ero comes & Dux, ut deducam vos, quasi in arcam, ut Noahum &c. Gen. VII, 1.*

§. 2. *עַמּוּל* *עַמּוּל*, *populus*, significat non quamvis multitudinem, sed *juris consensu & utilitatis communionem consociatam*; ut *populum* ex *Cic. Lib. 3. de Republ.* descripsit *Augustinus de Civitate DEI lib. II. cap. 21.* quo sensu *Ephraim frangendus* dicitur *עַמּוּל* *Es. VII, 8.* hoc est, ne amplius valeat *republica*, qua celebriores *populi* valere solent. In specie verò *populus DEI*, seu quem *Deus h. l. suum* vocat, significat illos, quos *Deus* assumpsit, ut ipsum colant juxta regulam verbi divini, verâ fide & cultu. sanctioris vitæ: perinde, ut *Moabitæ* vocabantur *populus Chamos. Num. XXI, 29.* & *Jerem. XLIX, 46.* nempe *Bacchi* secundum *Kircherum*, seu secundum *Kippingium, Saturni.* Vide *M. Andrea Beieri* annot. ad *Seldenum* de *DIS. Syris, Syntagm. II. p. 322.* Sive etiam, secundum *Hieronymum, Priapi.* Vide ipsum *Seldenum* p. 165. quod hæ gentes talia numina venerarentur: prout *Ammonitæ* vocabantur *populus Milchom. Jer. XLIX, 1.* *Israelitæ* *populus vitulorum. Os. X, 5.* *Idumæi* *populus Deorum*, quos colebant *2. Chron. XXV, 15.* & apud *Euripidem* in *Tauris, Athenienses* *populus Minerva.* Vide *Ravanelli Biblioth. Part. 2. p. 321.* Hoc sensu nonerant *populus DEI*, qui ad fidem Christi non erant conversi *1. Pet. II, 10.* ut & immorigeri & rebelles *Os. I, 9.* Contra verò *populus DEI* sunt, quos hic adoptaverat *Rom. XI, 2.* in quorum animo doctrina est *Es. LI, 7.*

A. 2.

quos;

quos Deus elegit præ aliis populis, *Deut. VII, 6. & Deut. X, 15.* quos Deus elegit sibi in possessionem *Psal. XXXII, 12.* quos studiosissimè servat, ceu peculium, *Exod. XV, 16. & Exod. XIX, 5. Deut. VII, 6. & XIV, 2. & XXV, 18. Psalm. CXXXV, 4. Malach. III, 17.* super quos invocatur nomen Dei, *2. Chron. VII, 14.* qui etiam eodem sensu vocantur populus *πεποιτισθαι. Tit. II, 14. εις πεποιτισθαι. I. Pet. II, 9.* populus sanctitatis DEI. *Esa. LXIII, 18. hereditatis DEI, Deut. IX, 20. & populus pretiosus in oculis DEI, Esa. XLIII, 4.* Synonyma plura coacervata vide apud *Ravanellum p. 322.*

§. 3 בָּא) Notabilis est constructio verbi בָּא, quod cum motum ad locum significat, interdum construitur absolute, *Gen. XIX, 23. Et Loth צֵעָרָה בָּא venit Zoar, & I. Sam. XII, 8. postquam Jacob בא מצרים venit in Ægyptum.* Interdum cum particula אֶל ut *Judicum III, 20. Et Ehad בא אליו.* Conf. *Gen. XXXVII, 23.* interdum cum particula עַל, ut *Es. X, 28. בא על-עירא venit ad Ajath;* interdum cum particula עַד v. gr. *Jud. XV, 14. cum veniret ער-לחי,* interdum cum præfixo ל: ut *I. Reg. X, 14. aurum בא לשלמה veniebat ad Salomonem:* interdum cum præfixo ב, ut *Dan. XI, 40. ובא בארצוריא, & veniet in terras.* Atque hæc ultima constructio reperitur etiam h. l. aliàs certè, prout Concordantiarum *Buxtorffianarum* inspectio docet, rarior.

§. 4. בַּחֲרִירָה) *in cubicula sua.* Versiones Germanicæ reddunt in singulari, respicientes fortasse ad illud, quòd una sit piè morientium conditio. *Dietsenbergerus* adhibet diminutivum, spectans sine dubio ad pias beatè morientium cogitationes, qui cum vastos in orbe vastissimo profanorum hominum tumultus intuentur, exiguum sibi cubiculum optant, ubi à periculo tuti & ab inani labore securi esse

se possint. *Vulgata* verò pluralem retinuit. Caterum
vocabulum $\kappa\lambda\upsilon\tau\epsilon\rho\varsigma$ significat in genere penetrabile seu conclave
interius, in quo seu tuto vivitur, sive tantum secreto: ut ex
2. *Sam. IV. 7.* de Isboetho; & 2. *Reg. VI, 12.* de rege Syriae pa-
tet. Unde *penetrabilia Austri* vocatur etiam illud spatium
metaphorice, seu locus stellarum, quem Septentrionales ne
videre quidem possunt. Confer *Dn. Sebastianum Schmi-*
dium in Notis ad Jobi cap. IX, 9. ubi ex *Aben Esra* & aliis
hanc sententiam adduxit. In specie, ut cetera signifi-
cata à *B. Oleario* congesta expos. *Biblic. ad Cant. 1, 4.* prater-
eamus, notat locum destinatum quieti, tum viventium; *Jud.*
XV, 1. Joëlis II, 16. tum morientium. *Proverb. VII, 27.* & h.
I. Comparatur autem status mortis cubiculo (1.) quia, perin-
de ac cubiculorum interiora, viventium oculis non pa-
tet. Confer *Jacob. Dürrfeldum* in Exeg. *Cant. Cantic.*
Cap. I, 4. neque potest furore hominum invidorum per-
turbari, *Sap. III, 1. Matth. X, 28.* (2.) quia sicut laboribus de-
fatigati in cubiculis edormimus, sic & vitæ molestiis defessi,
quietem amoenissimam carpimus in morte. *Apoc. XIV, 13.*
Unde in sepulcris amoenissima cubilia reposita veteribus
fuisse, docet ex *II. Chron. XVI, 14.* *Ravanellus* *Biblioth. p. 394.*
& mors ipsa somno comparata, *Job. XI, 11.* & tritum illud a-
pud *Alstedium* in *Lexico Theologico p. 422.*

Somnus ut est mortis, sic lectus imago sepulcri.

Imò *Kirchmannus* l. 3. de funeribus Romanorum c. 9. p. 256.
ostendit, ipsis quoque ethnicis sepulera dicta fuisse *requietoria*,
producens, tum veterem inscriptionem, tum locum ex *Ci-*
ceronis lib. 1. *Tusc. quæst.* Qui titulus tamen fidelium Chri-
stianorum sepulcris longè convenientior est. Nec ignotus
est titulus $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\omega\upsilon$ apud *Alstedium* l. c. metaphora sine du-
bio ab antiquis ritibus desumpta. Refert enim *Atbenæus* Lib. 4.
de conviviis Cretensium, quod apud eos certa conclavia
fue-

fuerint egregiè exornata, in quæ hospites sibi amicissimos
carissimosque dormiendi gratia deducerent. Addit autem
h. l. Deus intra conclavia TUA : quia propter beneficia me-
ritò Christi communicata cœperunt esse nostra. Unde in
requiem, quæ DEI dicitur *Heb. III, 11. & cap. IV, 15.* etiam
dicuntur illi, qui sunt Christi participes, *transire. Heb. IV, 11.*
Et suum cuique dormitorium, sua cuique quies peculiaris
est, prout sepulcra concamerata & singulorum corporum
singula fuisse, docet *B. Geierus* de Iudu Ebræorum p.
137.

§. 5. וְסָגַר דְּלַתְּךָ *claudere ostia tua.* Vocab. דְּלַתְּךָ est circello
notatum: unde *Masoretha* in margine adscribunt דְּלַתְּךָ. Alias
illa phrasîs, *claudere fores*, sumitur etiam in Scriptura tum
proprie, tum improprie. (1.) Proprie *Gen. XIX. 6.* ubi Loth
dicitur obseratis ædium suarum foribus prodississe. (2.) Im-
proprie significat idem, atque alios ab accessu alicujus loci
prohibere. e.g. *Matth. XXV, 10.* ubi fatuæ virgines, clausis ja-
nuis, ad sapientes non dicuntur intromissa: quâ ratione
etiam Christus de Pharisæis & Scribis dicit, quod *claudant*
regnum caelorum. Et addit ἐξήγησεν εὐεκα, quod *introitu-*
ros prohibeant. Conf. *Glass. Rhet. S. Tr. I. cap. XII. p. 391.*
significat etiam, à rerum humanarum curis *secedere*, prout
orantibus præcipitur, ut *claudant ostium cubiculi. Matth.*
VI, 6. non tam habito respectu ad actum externum, quàm ad
abstractionem cordis à peregrinis cogitationibus & captan-
da aura populari. Respicit etiam nonnunquam ad finem
peculiarem, qui est *aliquem à metu relevare*, prout occur-
rit *Gen. VII, 16.* ubi Deus arcam claudens ab omni metu simul
Noachum relevavit, persuasum quippe, nullis aquarum flu-
tibus machinam interituram, nullâ vi undarum compages
asserum laxatum iri. Ita si ad nostri textûs verba respicias,
dicendum, quòd cum morientes cubicula sua claudere non
possint

possint ipsi, ideò propriè intelligatur (1.) eorum à potestate
hostium secularium immunitas. Nam ut ait *Virgilius*:

Nullum cum victis certamen, & athere cassis.

Hinc apud Gentiles etiam cum mortuis pugnare nefas erat,
ut deduxit *Grotius* de J. B. & P. Lib. 2. c. XI. v. 2. mul magis
apud Christianos, ubi mortuorum sepulcra violari quoque
piaculum est. Vide *Sächsifch. Land. X. Lib. 2. Art. 13.*
Adde *Kirchmannum* de funeribus Rom. Lib. 3. c. 26. (2.) eo-
rundem à curis humanarum rerum secessus. Unde dicun-
tur ἀναλυσαι *Phil. 1, 23.* Metaphora forte desumpta ab equis
vehiculo alligatis, qui labore finito resolvuntur. Unde eo
in loco adhibetur Syriaca radix פטר, quam *Chaldaeus* inter-
pres in *Expos. Loci Cant. I, 1.* de Mose adhibet ex curis hujus
vitæ dimittendo. Quò & Judæi respiciunt cum mortuum
פטר à curis solutum vocant. Vide *D. Geier.* ad dictum
Phil. 1, 23. (3.) Notatur eorundem ab omni metu relevatio.
Neque enim male hic sentit *Ravanelus* Biblioth. p. 638. cum
ait, *Esaiam* hoc textu allusisse ad locum *Exod. XII, 22.* ubi
Israëlitæ, cum angelus *Vastator* *Aegyptiorum* domicilia obi-
ret, ædium suarum foribus oclusis, dicuntur ab omni & me-
tu & societate malorum abfuisse. Eodem enim modo piè
defuncti, sæviente per terrarum orbem ferrò, & metu carent
& dolore.

§. 6. בערך) *superte.* ער Cum præfixo ב significat
non solum post, sed & pro, sive bono alicujus, ut *II. Reg. IV, 4.*
ubi Propheta præcipit viduæ: claudite ostia ובער ובערך
post te & filios tuos: imò pro TE & filiis Tuis. Sic & *Gen. VII,*
17. dicitur Deus clausisse januam ובערך pro ipso, nempe
Noacho ejusdemque salute. Conf. *Gerh.* ad eum locum.
Notabile tamen est, quod *R. Salomo* ibi בערך existimet id-
dem esse atque בניך quod de muliere reperias, quam Deus
voluit esse adiutorium viri בניך *Gen. II, 18.* id quod On-

B

kelos

kelos $\alpha\gamma\alpha\phi\epsilon\alpha\lambda\iota$ per מקבלו *juxta & coram*, ut sensus sit, mulierem *juxta & coram* viro, seu circumcirca debere versari. Quâ ratione in nostro textu clausura cubiculi non tantum pie demortuorum bono contingeret, sed & fieret ab omni quasi latere, ita ut nulli amplius perturbationis periculo exponerentur. Huc pertinet versio Judæorum Amstelodamensis Germanica, und schluß deine Thüren umb dich
 311. Inde etiam dicitur *Apoc. VII, 16.* $\epsilon\delta\epsilon\ \mu\eta\ \pi\epsilon\sigma\eta\ \epsilon\pi\prime\ \alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma\ \pi\acute{\alpha}\nu\ \kappa\alpha\upsilon\mu\alpha.$

§. 7. חָבֵי *Abscondete.* Hic notanda (1.) Enallage Generis Fœminini, pro Masculino. Nam (ut *Glossius* ex *Kimchio* monet *Gramm. S.l. IV. Tract. 2. p. 737.*) Scriptura S. loquitur de populo modò in masculino, modò in fœminino genere, sæpius etiam utròque in eâdem sententia. Nam populus genere Masculino dicitur עָרֵי & genere Fœminino עִירֵי vel קְהִלֵי . Sic etiam occurrit *Jer. IV, 30.* modo וּמַעֲשֵׂי in fœminino, modo בְּשִׂרְרוֹ in masculino, adde quoque *Tarnovium* Comment ad *Hos. IV, 19.* Ita h. l. licet in masculino præcedant לֵךְ & סִגְרֵי consuetudine tamen seu idiotismo Scripturæ potest sequi fœmininum חָבֵי . Cæterum חָבֵי significat *latitavit*, seu *absconditus fuit*, prout exploratores sub montanis latitabant, ne ab hostibus opprimerentur, *Jos. II, 16.* vel prout Micha vaticinabatur, regem latitaturum per cubacula, ut hostium sese rabiei subduceret *1. Reg. XXII, 25.* Sic etiam pie defuncti latitare jubentur in cubiculis, nempe sepulcris suis, ne hostium suorum tela cogantur excipere. Huc enim quadrant illa *Psal. IV, 9.* *In pace cubosolus*, & *Psal. XXXIV, 21.* *unum ex ossibus eorum non conteretur*; Ad quæ vide Comment. *B. Geier.*
 Huc pertinet illud חָבֵי *Hieb. VII, 8.*

§. 8. (כמעט-רבע) *velut paululum, ad momentum*
 Scriptura breve tempus interdum absolute reddit per מעט
Pfalm. XXXVII, 10. Jer. LI, 33. interdum cum præfixo כ
Pfalm. LXXXI, 15. interdum particula מעט repetita *Exod.*
XXIII, 30. interdum cum adjecto vocabulo רבע *Esr. IX, 8.*
 & hoc loco, ubi repetere liceat, quod ad *Pfalm. LXXXI, 15.*
 iterum habet B. Geierus: : כ *vim habet accelerandi,* sicut in
 illo *Pfalm. LXX, 19.* רבע, ut sensus sit: *non diu latitandum*
tibi erit, sed brevi è latibulo prodeundum. Quo etiam re-
 ferri potest accentuandi ratio. Cum enim potuisset supra
 vocab. רבע ad designandum comma scribi vel *rebbia* vel
Sakephkaton, scribitur tantum *tipcha,* ad faciendum semi-
 comma: imò cæteræ voces per *mackeph* copulantur, ut de-
 signetur vindictæ celeritas. Quò spectat & illud, quod Ju-
 daica versio Amstelodamensis verba subsequencia reddit,
bis der Zaren wird überfahren seyn/sine dubio breviterem
 rei per vocem *überfahren* significatura, Aliàs רבע designat
 minutissimum temporis fragmentum, à רבע dirupit,
 idque κατ' ἀθροισμα, Deus hoc loco sibi tribuit, ad vim
 paterni affectus declarandam. Sicut enim pater filios non
 diu latere patitur, forte speluncâ propter procellam abscon-
 ditos; ita Deus, simul atque procella malorum secula-
 rium detonuit, suos in apicem reduciturus est. Atque il-
 lud est *ἐλαφρῶν* illud *II. Cor. IV, 17.* & *ὀλιγον. I. Pet. I. 6.* Quo
 etiam pertinet illustratio à simili dormientium, quibus lo-
 mni tempora longè breviora videntur, quàm vigiliarum.

§. 9. (ער-יעבור-ועי) *Donec transeat ira.* Oc-
 currit iterum vox Circello notata. יעבור ad quam in mar-
 gine Masorethæ notarunt יתיר hoc est abundat. Cate-
 rum vocabulum ועי iterum competit DEO *αἰθροποναι-
 γῶς,* & notat pœnas & calamitates, quas Deus iratus immit-
 tit propter peccata, *Conf. Ezech. XXII, 24.* quales qui-
 dem

36
 35
 34
 33
 29
 28
 27
 26
 24
 23
 22
 21
 20
 19
 18
 17
 16
 15
 14
 13
 12
 11
 10
 9
 8
 7
 6
 5
 4
 3
 2
 1

dem Deus infligendum se ait fidelium persecutoribus h. l. v. 21. ubi notabilia sunt, quæ adjiciunt Biblia Ernestina : **Godt** wird das Blut seiner Gläubigen an allen Tyrannen rächen vom Ersten bis zum Letzten : & quæ B. Theodoricus Schnepfius, Prof. Tubingensis in paraphr. sua habet ad *Esaiam* p. 400. Dominus certè, qui nunc connivere ad impiorum tyrannidem videtur, aliquando ex arcana sede progressus improbitatem hominum puniturus est, imprimis autem eorum sanguinem, qui propter pietatem trucidati sunt, ita ulturus, ut intelligant impii, potuisse quidem terram eorum corpora contegere, memoriam autem effusi sanguinis non potuisse. Atque eundem severitatis modum Deus quoque exercuit in tyrannis, cum hi raro sicca morte ad Cereris generum descenderint, ceu loquuntur Poëtæ, suffragantibus certè omnium seculorum historiis. Caspar Sanctius in Comment. ad h. l. per indignationem intelligit indignationem in justos, qualis videri possit, quod corpora eorum jaceant in pulveres soluta, vi poenæ universo hominum generi post lapsum indictæ. Per transitum verò hujus indignationis intelligit extremum judicium, ubi indignatio in pios desitura & in tyrannos sævitura sit. Verùm enim verò, si sequentem verùm respicias, eorum, qui in hoc quoque seculo iram Nemesisque divinam in tyrannos verùm iri existimant, sententia videtur præferenda, ut sensus sit : quiescite, donec vindictam à manibus parricidarum vestrorum in terris repetiero : quo justitiæ meæ exercitio nisi poenitere discant, æternis suppliciis plectantur.

CAP. II.

COMPLECTENS ANALYSIN LOGICAM,
CUM DEDUCTIONE THEOLOGICA.

§. I.



Armen, præeunte nobis *Schneppio* l. c. quod hoc capite continetur, est encomiasticum, quo Ecclesia laudatur, tanquam florentissima quædam Respublica (1.) quod Ecclesia sit urbs munitissima, cui ipsa salus præfideat. (2.) quod cives sint homines justii & veritatis amantes. (3.) quod pax in ea sit exoptata & constans. (4.) quod Dominus, qui protegit hanc urbem, habeat fortitudinem & majestatem in æternum duraturam. (4.) quod Dominus, seu Servator Christus, homines doceat justitiam. Hæc sunt laudationis capita, quæ proponuntur à v. 1. usque ad 9. In cæteris verbis resolvuntur tacitæ quædam objectiones (1.) Si Christus omnes doceat justitiam, cur tamen multi sint impii? Resp. omnibus quidem offerri beneficium veræ justitiæ, sed non ab omnibus recipi. (2.) Cur pax Ecclesiæ tribuatur, cum tantoperè sit afflicta? Resp. quando pii invocent Dominum, malos puniri, persecutiones autem servire amplificandæ Ecclesiæ. (2.) afflictiones acuerè in piis fidem & invocationem, imò (3.) ne mortem quidem ipsam obesse, tum quod revicturi sint mortui, tum, quod sepulcra eorum sint amœna cubicula, tum quod Deus sit supplicia justorum vindicaturus à v. 9. usque ad finem.

§. 2. Pars itaque, ad quam nostra referenda pericope, solvit illam objectionem, quod Ecclesiæ pax tribui nequeat, cum vehementer sit afflicta, imò perferre mortem necesse habeat. Syllogismus erit talis: Quicumque morti obnoxius est, ille non habet pacem. Atqui Ecclesia

mortui obnoxia est. Ergo Ecclesia non habet pacem: Quæ ipsa obiectio Assaphum quoque fatigavit *Psalms*. LXXIII, 2. In cuius Psalmi præfatione *Henricus Mollerus*, *Hamburgensis*, sic ait: *fieri non potest, quin animi hominum etiam piorum sæpe turbentur, cum pios omnibus injuriis, imò ipsa morte subinde vident affligi.*

§. 3. Verum enim verò ad hanc objectionem responderetur distinguendo inter pacem verè & adparenter talem: cum applicatione, quòd qui corporaliter moriantur, pace tantum adparenter destituantur, non idcirco verè, quia amœnissima etiam *Quies Morientibus* per mortem possit contingere. Hac occasione quies illa paulo uberius describitur per certa prædicata, quæ continentur oraculo à nobis jam ulterius explicando. In eò verò attendendum nobis erit (1.) ad *Subiectum*, quod illam quietem debet percipere. (2.) ad *Adjunctum*, seu illud, quod Ecclesia debet percipere, nempe ipsam quietem, quæ per aliquot formulas describitur: (3.) ad *Causam* quietis *Efficientem*.

§. 4. (1.) *Subiectum* est *populus DEI*, per quem, ut *Schnepfius* monet ad hunc locum, nonnulli intellexerunt homines, qui fuerunt in servitute *Babylonica*, & calamitatum illarum aliquo solatio fuerunt relevandi. Inde enim dixerunt *Judam* hic nominari atque *urbem Sionis* v. 1. Sed rectius *Hieronymus* & *Haymo* de illis sunt interpretati, qui sunt adscripti cives *Hierosolymæ cœlestis*. Quia enim (sic ait *Caspar Sanctius* ad v. 1. hujus capituli) *Jerusalem* *symbolum est cœlestis patriæ, & qui per desertum longis persuncti laboribus pervenerunt in terram promissionis, typi sunt eorum, qui in beatorum sortem & requiem admittuntur. Ideò Sancti adpellantur viri Juda & beatorum sedes dicitur Sion aut Juda.* Inde *Schnepfius* l. c. producit aliqua haud infirma argumenta, quibus Ecclesiam fidelium non Hebræos tantum
è capti-

36
35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

è captivitate solutos intelligi debere confirmet. Liceat doctissimi viri adscribere verba, quæ sic habent: *Quod Esaias de Christi regno & beneficiis concionetur, ista rationes assignari possunt: Initio quod Propheta hoc carmen cum Superiore capite conjungere videtur. Illud autem omnino de beneficiis Domini & Servatoris nostri Jesu Christi intelligendum est. Quis ergo negaverit, ista, quæ in hoc vaticinio continentur, ejusdem esse argumenti? Deinde, qui hic canunt, nituntur munitione urbis suæ, quasi externa esset, non posset excusari formula illa laudationis. Nam prohibemur carnem facere brachium nostrum, nec spem collocare in illis presidis, quæ in hominum viribus & munitionibus posita sunt. Laudatur (3.) innocentia civium in hac republica: cum autem constet, Judæos, qui ex servitute Babylonica in patriam redierunt, avaritia & connubiis muliercularum alienigenarum se polluisse, ut scriptum est Nehem. c. V. & Esdra c. IX. imò segnes quoque fuisse in adificando templo & promovendo DEI cultu, quod testatur Haggæus C. I. nemo ista de Hebræis dicta existimet, sed de Christi beneficiis & Ecclesiâ. Cæterum quando Christus h. l. populum vocat suum, attenditur maximè beneficium redemptionis, quod præstiturus erat pro omnibus I. Tim. II, 6. factus *ἰλασµός*, pro peccatis mundi I. Job II, 2. susceptis iniquitatibus omnium nostrum. Es. LIII, 6. factus pro nobis *κατάγωγος*. Gal. III, 13. & semetipsum tradens pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, Eph. V, 25. Imò ille idem est, à quo Ecclesia moriendi felicitatem expectat, unde dicimur, in Domino, cum morimur, *beati*. Apoc. XIV, 13.*

§. 5. (2.) *Adjunctum* sive *Objectum* percipiendum est ipsa quies beata, seu beatus in morte status, suo modo corpori animæque communis, descriptus tamen per formulas corpori maximè competentes. Huic enim competit (1.) *transitus in cubicula* per honestam sepulturam. Nem-

Nempe poena est, π non-sepeliri, atque ita de *Jojakimo*, & filio *Josia* dicitur, *Jer.* XXII, 18. quod *sepultura* *asini* sit sepeliendus, trahendus scilicet & projiciendus extra portam; Item de *Jesabele* II. *Reg.* X, 10. *Jesabelem* devorabunt canes, nec erit, qui sepeliet. Contra *Abraham* sepelivit *Saram*, *Genes.* XXIII, 19. Hinc laudabiles sunt inscriptiones sepulcrales, v. gr. *Hic quiescis in Domino N.N.* cui nec absimilis est illa *Judæorum*: *Quies ejus in loculis viventium cum reliquis justis. Amen, Amen, Amen. Selah.* (2.) *Occlusio ostiorum*, per quam intelligitur immunitas ab ulteriore supplicio aut periculo. Nam ut habet *Euripides*:

Mors iurgiorum finis est mortalibus.

Unde, quamvis moneretur *Carolus V.* ut in *Lutheri* reliquias, captâ *Wittebergâ*, vindictam exerceret, sibi tamen cum vivis, non cum mortuis bellum esse, sapientissimè respondit. Imò si vel maximè effodiantur nonnulli atque eruantur è tumulis suis, corpus tamen illa non sentit supplicia, quæ à malignis inferuntur. (3.) *Occultatio*, quæ plenè contingit per cinerificationem, quâ pulvis redit in terram, unde fuerat, *Ecles.* XII, 7. & deponit quasi radices peccati, ut aliquando possit eò amœnius reflorescere. Vid. *B. Scherz.* *System.* p. 555. En quietem ad corpus pertinentem. Neque tamen est, cur animam piorum ab hujus quietis consortio excludamus. Eadem enim à corpore secedens habet (1.) transitum in cubicula, non inferna illa quidem purgatorii, quibus nulla quies; sed cœlestia, ubi beatorum sunt *mansiones*, *Job.* XIV, 2. In fasciculum viventium, 1. *Sam.* XXV, 29. quem מִצְיָוִן seu thesaurum & thesaurarium controve *Judæis* appellatum esse docet *Galatinus* lib. 6. de arcanis *Catholicæ* veritatis cap. 9. (2.) habet occlusionem ostiorum, per quam intelligimus vel $\mu\epsilon\gamma\alpha$ illud $\chi\alpha\iota\sigma\mu\alpha$, quod firmatum est inter bea-

beatos & damnatos *Luc. XVI, 26.* Unde animabus ad spe-
rorum larvas nulla remigratio. Vel *depositionem curarum*
mundanarum, propter quam dicuntur *ἀπαπέθεσθαι ἐκ τῶν νό-*
των αὐτῶν Apoc. XIV, 15. (3.) Animæ quoq; competit *occultatio*:
de qua insignis habetur locus *Apoc. VI, 9.* Unde non pos-
sum, quin adscribam explicationem Bibliorum Ernestino-
rum: **Daß nun die Seelen dieser Martyrer allhier un-
ter dem Altar gesehen werden/ dadurch wird angedeutet/
daß die Seelen der abgestorbenen Gläubigen/ sonderlich an-
ber der Martyrer/ in Christi Hand seyn/ und unter dessel-
ben Schus und Schatten (en occultationem, cui quadrat
Psal. XCI. 1. סתר & צל שרי) bis auf den Jüngsten Tag
für allem Leid und Unfall bewahret werden. *Sap. III, 1.*
Aff. VII, 59. 1. Pet. IV, 19. Ex quibus simul innotescit, mo-
dum hujus quietis non consistere tantum in actibus priva-
tivis, sed & positivis, quales sunt: *consolationem percipere.*
Luc. XVI, 22. De passione Christi loqui. Matth. XVII, 3. canere
*trisagium. Apoc. IV, 4.***

§. 6. *Causa efficiens* hujus quietis est Christus, cu-
jus in textu cum Ecclesia colloquium est. Equidem ad po-
pulum sermocinatus, *ingredere*, ait, *in cubicula Tua, & clau-*
de ostia Tua: Sed verba illa non sunt otiosa aut inefficacia.
Ipse enim, dum mori præcipit, facit ut mori velimus: & ut
beatè mori possimus, ejusdem morte adjuvamus. Dicun-
tur autem *Cubicula nostra, ostia nostra*, non quòd à nobis sint
præparata, aut claudi virtute nostrâ possint; sed quòd bo-
no nostro à Christo procurentur, à quo & beatè vivendi &
moriendi principium est. Ille itaque hujus quietis causa
efficiens est (1.) *Præcipiendo*, quo sensu *Moses, Deut. XXXIV,*
5. dicitur *על-פי ידו* *super os* aut *faciem Dei mortuus*,
quod, neglectis Rabbiorum commentis transtulit Lu-
therus: **er starb nach dem Wort des HErrn.** Ita præce-
pit

C

pit ille mortem Aaronis, Num. XX, 26. & nostrorum die-
 rum numerus in eius libro descriptus est. Psalm. CXXXIX, 16.
 ita ut terminum vitæ nostræ vel prolongare, II. Reg. XX, 1.
 vel abbreviare possit. Psalm. LV, 24. prout norit clepsydra
 suæ vel horologii rationes. Quæ similia vide apud B. Dann-
 hauerum Hodol. p. 330. & B. Scherzerum in System. Theolog.
 Hinc non solum *prævidere* dicitur terminum vitæ, sed etiam
constituere; non quidem velut *absoluto* & respectum ad causas
 & circumstantias extra Deum, penes homines, occurrentes
 excludente; *certò* tamen decretò. Confer B. *Æg. Hunnii* QQ.
 & Resp. de Provid. (2.) Christus etiam est causa efficiens
 quietis hujus *promerendo*. Ipse enim suâ morte placidissi-
 mam nobis mortem promeruit, & ad quietem à se promeri-
 tam h. l. populum suum dimittit. Nam יהוה את-עשיר בְּמוֹתָיו
dedit divitias, (quarum haud postremum genus ἐὸ θάνατος
 est,) *in mortibus suis*. Es. LIII, 9. Vide B. *Glassium* Gramm.
 S. Lib. 3. Traç. I. p. 3. Et *pacem*, in qua *dimittimur*. Luca 11,
 29. מוֹסֵר שְׁלוֹמֵנו עָרָיו *Castigatio pacis nostra super eo fun-*
dada est, Esaiæ LIII, 5. ipse *abit ad locum nobis præparandum*.
Johan. XIV, 3. Mors fuit ipse mortis. Os. XIII, 14. Et licet
 septuaginta interpretes Es. XXV, 8. verba illa בְּלַע הַמָּוֶת
 לְנֶצַח reddiderint per κατέπιεν ὁ θάνατος ἰχθύος, rectè ta-
 men observat B. *Meisnerus*, quòd *mors absorpserit Christum, sic-*
ut piscis in vermiculo hamum : vide B. *Dannhauerum* Hodol.
 p. 730. κατέπιεν ὁ θάνατος εἰς νῆκ. I. Cor. XV, 54. Cùm
 autem in morte *duo* consideranda sint : *primò* illud, quòd
 mors in se præcisè importat ; nempe privatio vitæ; orta ex
 unionis naturalis, quæ inter corpus & animam est, dissolu-
 tione : *deinde* adhærens huic dissolutioni ac privationi in-
 felicitas & maledictio ; Gen. III, 17. *illud* quidem apud infi-
 deles, ac fideles manet actū, quem remorari sapientiæ di-
 vina:

wina visum est, donec *ultimus ille hostis* suprema resuscitatione *aboleatur*: (ita *Dannbauer*. *Hodol.* p. 439.) alterum verò apud fideles, qui accuratè loquendo ad populum Dei pertinent, ipso actu quoque sublatum est. Unde hos *non tangit post mortem tormentum*, *Sap. III, 1.* fruuntur *in sinu Abrahae solatio*. *Luc. XVI, 22. & 25.* (3.) Christus etiam causa est, quietem illam *conferendo*. *Luc. XXIII, 43.* quare comparatur Josuæ, Israëlitas in requiem promissæ terræ introducenti, *Heb. IV, 8. seqq.* (4.) Christus etiam est causa quietis illius, *durationem determinando*, cum ait, עַרְיָעֵבֶר יַעֲבֹר וְעַיִם *donec praterierit indignatio*. Justus enim ille iudex suo tempore *comminuet tyrannos* בְּשֵׁבֶט בְּרֹזֶן *virgâ ferreâ* *Psal. II, 9.* Metaphora à ducibus militaribus desumpta, qui baculo sceptroque suo interdum plagas immittunt militi: quò pertinent, quæ ex *Homero* de *Ulyssæ*, qui sceptro suo dorsum humerosque *Thersitis* probè percussit, adscripsit *B. Geierus*. Ille, inquam, *lapis* est, *Colossi* imperia subvertens, ubi Dei consilio fuerit devolutus. *Dan. II, 34.* & ubi Tyranni mensuram scelerum suorum compleverint. *Matth XXIII, 32. & II. Maccab. VI, 14.* Porrò ostenditur his verbis summa Dei potentia, quâ Tyrannos momento temporis confringere & dissipare potest. Sunt enim sicut *gluma, quam dissipat ventus*. *Psal. I, 4. Luc. I, 41.*

§. 7. His ita explicatis, ad argumentum superius §. 2. allatum respondebitur per inficiationem majoris. Non enim quicumque morti obnoxius est, statim amittit pacem, cum etiam per mortem pax possit offerri & confirmari. Qui ipse scopus fuit, ad quem textus oraculi nostri ex Spiritus divini mente collimabat.

CAPUT III.
COMPLECTENS QVÆSTIONES
THEOLOGICAS.

Quar. I. An Deus sit causa mortis?



Ertum est, Deum esse *φιλόθεων*, Tit. III, 4. & *φιλόψυχον*, Sap. II, 27, unde etiam dicitur, quod mortem non fecerit, neque latetur in perditione vivorum, Sap. I, 13. Scilicet quòd hominem immortalem condidit, seu talem, qui per naturam perfectionem, quam à Creatore acceperat, poterat nunquam mori; semper autem vivere: tanquam *ad imaginem Dei conditus* Gen. I, 27. conditus ἐπὶ ἀφθαρσία Sap. II, 23. Unde Deum esse mortis causam, absolutè loquendo non dicimus. Verùm quando in textu nostro Prophetico Deus jubet populum suum, ut in cubiculum suum, seu in sepulcrum per mortem discedat; videtur hoc ipso tribui Deo, quòd sit causa mortis, & imponat hominibus moriendi necessitatem. Sed observanda hic imprimis est distinctio aliàs usitata, & supra Cap. II, §. 5. indicata, quàm mors spectatur vel *in se præcisè*, vel, quatenus *per accidens* aliquando fit, ut sit mors *beata*, seu transitus ad quietem vitamque beatam. Textus noster loquitur de morte, *posteriore* modo considerata, ut ex dictis patet: unde non sequitur, quòd Deus sit causa mortis in se spectatæ & absolutè loquendo. Neque enim quicquam aliud dicitur, quàm quòd Deus homines, jam aliunde factos mortales, & necessitati moriendi subiectos, sibi verò (Deo) adherentes, ad mortem, velut quietem, deducat. Quòd autem ad *priorem* acceptionem mortis attinet, certum est, Diaboli seducentis malitiam, ac protoplastorum delinquentium culpam, morti originem dedisse. Ita enim Diabolus *ἀνθεμὸν πνεύματι*

κακτόν & dicitur Job. II, 44. & quomodo homines in peccatum induerit, ut mortem iis attraheret, plenius docetur Gen. III. Confer Hebr. II, 14. & Sap. II, 23. Homines autem, ad obedientiam obligati, & mandantis majestatem atque comminationem mortis negligentes, hanc ratione reatum, ac necessitatem mortis, ipsi sibi suo, quod ajunt, jumento attraxerunt; eaque ratione dicitur *per peccatum mors intrasse in mundum*: atque *ita in omnes homines pervasisse*. Rom. V, 12. Unde neque est censu causarum mortis prorsus excludi potest DEUS; prout B. Gerhardus Loc. de Morte §. 33. *Tertiam mortis causam dicit esse vindictis Dei iram*. Atque ita, cum Psalmô XC. dicitur, DEUM *convertere homines in contritionem*, seu facere, ut per mortem conterantur ac pereant; non intelligendum istud est de mortis institutione, sed ad pœnam peccatorum ordinatione. Unde statim additur: *furor Dei in pulverem nos convertit*. Aliàs circa hanc quæstionem peccatur dupliciter (1.) à Reformatis, qui terminum vitæ fatalem, adeoque genus & horam mortis ex absoluto Dei decreto immutabilem fingunt, quodcumque Deus jubeat ad conclavia mortuorum nos transire. Quamquam enim non negemus, quod abeundum sit, cum Deus nos abire jubet: tamen etiam locus relinquendus est sententiis Sacra Scripturæ de termino vitæ, aliquando, precibus videlicet, pietate ac sobrietate prorogando, aliàs & in primis impietate decurtando. Tum enim, quod B. Friedlieb. Medull. Theol. p. 250. habet: *Decurtare Tuum est, sed prolongare Tonantis*. (2.) à Socinianis, in præsentî negotio peccatur, qui in *Catechismo Racoviensi* p. 18. seqq. mortalitatem homini, tanquam corpori animali, concreatam existimant, ita, ut Adam hoc ipso, quod *de humo formatus* fuit, *mortalis* quoque *creatus* fuerit; ac *nihil naturâ commune habuerit cum immortalitate*: licet actu mo-

riturus non fuisset, si à peccato sibi constantissimè cavisset; adde B. Scherz. Collegii Anti-Socin. p. 255. Respondetur autem Socinianis, uti mortem; ita & mortalitatem, seu esse obnoxium morti, esse peccati pœnam: juxta comminationem Dei. *Gen. II, 17.* unde non potest conditio naturæ fuisse. Conf. B. Gerhard. Tom. II. L. de Imag. Dei Cap. IV. §. 99. seqq. p. 311. seqq. & B. Scherzer. l. c. p. 255. ubi objectiones Socinianorum solidissimè resolvit.

*Quar. 2. An Christus εὐθανασίαν nobis
promeruerit?*

Hic notandum imprimis, quod εὐθανασία nomine intelligi debeat, non mors, quoad ea, quæ corpus attinent, placida ac suaviss, in oppositione ad mortem violentam aut corpori dolorosam, valdè renitente naturâ: sed mors beata, quâ anima, de Dei gratiâ certa, vitam hanc mortalem deferens, ad quietem suam læta transit. Itaque ad Qu. resp. affirmando. Quicquid enim bonorum Spiritualium & in negotio Salutis nostræ, nobis obtingit, illud Christus nobis promeruit. Atqui εὐθανασία est tale bonum. E. Major probatur ex *Act. IV, 12.* ἐν ἄλλῳ ἔδειξεν ἡ σωτηρία. Minor probatur ex nostro textu. Contraducunt verò iterum Sociniani, asserentes, nullum meritum propriè sic dictum apud Christum inveniri, atque Christum Servatorem nostrum dici, quòd salutem & εὐθανασίαν nobis annunciet. Vide ex Socinianorum scriptis prolixè differentem B. Scherzerum Coll. Anti-S. p. 473. Contra autem observandum est, quòd Christus reconciliaverit nos in corpore carnis suæ per mortem, *Coloss. I. 22.* in mortem pro nobis in odorem suavitatis traditus, *Ephes. V, 2.* & datus pro nobis tanquam ἀντίλυτρον. *I. Tim. II, 6.* Objectiones iterum confutatas vide apud B. Scherz. p. 481. seq.

Quar. 3.

Quar. 3. An purgatorium ingrediantur
abeuntes anima?

Resp. Negando. Textus enim noster docet, quòd fideles in morte suâ intrent non in carcerem, ubi mala manfio est; aut in locum tormentorum: sed in *cubicula*, intra quæ occultentur, ab omni pœna sensus securi. Contrâ Pontificii fideles nondum plenè purgatos in locum purgatorii statuunt deferri, donec discussis peccatorum venialium maculis in cœlum provehantur, Quæ ipsa quidem sententia cœpit initiis tenuissimis. Nam seculo V. ut habet B. Kromayerus Theol. Positiv. Polemica Artic. 22. p. 1180. circa tempora Augustini, quidam, licet titubanter, assererant, animas à peccatorum reliquiis esse emundandas: cùm nihil peccatò inquinatum admittatur in regnum Dei. Deinde circa tempora Gregorii Magni confirmatum est apparitionibus spectrorum. Cùmque indulgentiæ postmodum, & viventium suffragia, multis opibus venderentur, flammæ illæ iustales in Concilio Florentino insertæ sunt credendorum numero: quâ occasione fabula Virgiliana quasi in dogma abiit, cui obstrepere postmodum piaculo fuit in Concilio Tridentino, Sess. ultima. Non autem probari potest sententia illa ex eo, quòd *nihil inquinatum introiturum sit in quietem illam Dei, seu in cœlum. Apoc. XXI, 27.* Resp. enim, nihil introiturum, nisi emundetur in hâc vitâ per regenerationem seu conversionem; justificationem & sanctificationem. Vide Kromayerum l. c. & ex professo B. Martinum Chemnitium, qui Part. 3. Exam. Conc. Trident., à p. 138. usque ad 220. omnia, quæ de hoc argumento dici possunt, nervosè expendit.

Quar. 4.

Quar. 4. An anima post mortem dormiant?

ITa videtur iterum Socinianis, qui fundamentum desumunt ex textu nostro, ubi beati morientes *in cubicula* sua revocantur. Ea autem cubicula putant esse *locum silentii & oblivionis*, in infima terræ parte. Vide *Schlichting*. *Expos. Symboli* ad illa verba: *descendit in infernum* f. 73. *Et anima sine corpore*, inquit *Smalzius* Exam: Centum Error, ad errorem 81. f. 33. *nullas operationes exercere potest*. Contrà autem observandum est, quòd à quiete, in oppositionem ad molestias & pericula hujus vitæ spectata, ad cessationem ab omni actu, non liceat argumentari; seu, ut ad argumentum ex *Psalm. VI, 5. 6.* & *Psalm, CXV, 17.* desumptum, ubi dicitur: *Mortui non confitebuntur; non laudabunt te;* respondit *B. Scherzer*. in Collegio Anti-Sociniano pag. 1166. à negatione actus in Ecclesia militante ad negationem actus in Ecclesia triumphante *N. V. C.* Certè enim animas quiescentes *consolationem percipere, cantare trisagion, & alia similia operari*, dictum est suprà. *Cap. II, §. 6.* Optimè *Cicero* lib. 5. de finibus. *Si quispiam ita nonaginta annos velit vivere, & cum sexaginta vixerit, reliquos dormiat, ne sues quidem id velint.* Et *B. Augustinus* contra fabulam de somno *Johannis Evangelistæ in sepulcro*, non esse *consentaneum*, ait, *ut ei discipulo Jesus, quem pra cæteris diligebat, pro magno munere longum in corpore somnum donaret.* Cæterùm hanc controversiam iterum pertractatam vide ex professo apud *B. Scherzerum* l. c. à p. 1140. - ad 1190.

Quar. 5, An corpora morientium ita destruantur per mortem, ut non eadem numero, sed alia pro illis, reddantur in vita altera?

Reep. Negando, quia nostrum oraculum testatur, ea tantùm *in cubicula* secedere & occultari: nempè aliquando reditura

reditura è cubiculis in lucem. Itaque non alia ibunt in
cubiculum : alia tandem extra cubiculum extabunt. Sed
eadem redibunt, quæ abierant. Contradicunt verò iterum
Sociniani, ex quorum numero *Smalcius* in Exam: 100. Erro-
rum, ad errorem 89, f. 36. expressè scribit ; *Corpora hæc, quæ*
nunc circumferimus, resurrectura non credimus, sed alia nobis
danda esse. Id quod repetit ad Errorem 90. & *Crellius* in
Comment. in I. ad *Cor.* VI, 15. T. I. Script. Exeg. fol. 277. ven-
ter, ait, & *esca ita abolebuntur, ut non tantum non numero*
eadem, sed ne specie quidem aut genere eadem unquam reditura
sint, & altera alteris successura, ita ut priora in succedenti-
bus rediisse videantur. Atqui nulla est causa, cur verbum
καταργησθαι I. *Cor.* VI, 13. exponamus de abolitione rei secun-
dum substantiam, ac sine spe restorationis : cum etiam
aliquandò idem denotet, ac facere, ut cesset rei alicujus usus
& operatio. Certè *ossa*, quæ periisse videri poterant, ita
quiescunt, ut in novissimo die *revirescant.* Es. LXVI, 14. &
Etiobus XIX, 25. *hæc ipsa pelle se credit circumdatum* iri, quam
in hac vita gestabat, ac digito intenso tangebatur. Objeccio-
nes, quæ ad hoc potissimum tendunt, ut identitatem sub-
stantiæ cum identitate qualitatum confundant, vide iterum
discussas apud B. *Scherzerum* p. 1143. seqq. Neque tamen
placet nobis fabula Judæorum de ossiculo ¹¹⁷, quod nun-
quam computrescat, & ex quo tota corporis compages
restituatur, evoluta apud *Buxtorff.* in Lexico Thalmudico &
confutata ab *Hostingero* Disput. de Resurrectione mortuo-
rum p. 25.

Quer. 6. Num beatè mortui intelligant preces
superstitum in terris, ad se directas?

R Esp. Negando. Quando enim in hoc textu dicuntur
ostium claudere, indicatur simul, eos à commercio cum
D extra-

extraneis, seu terræ incolis, esse remotos, ita ut hi familiarius cum illis agere, eos compellere, aut in partem curarum vocare non possint. Confer, quæ apud Prophetam nostrum *Cap. XLIII, 16.* dicuntur : *Abraham non novit nos.* Contrà omnes Papistæ, ut habet *Carpxovius* in *Ilagoge* p. 551. *conveniunt in eò, scire sanctos, quid ab illis petatur.* Adde *Belarm.* de sanctis Beatis Lib. I. c. 20. Verum enim verò licet cum *Apologia Augustana Confessionis* Artic. de Invocatione Sanctorum p. 224. *concedamus, quod sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in cælis orent pro Ecclesia in genere* : negamus tamen, sciri posse *sine Testimonio Scripturae, quod sancti intelligant singulorum preces.* Solus enim Deus est *ναγιδιουπώτης* *Jer. XVII, 10.* Et licet *Becanus* de *Invoc. Sanctorum* quæst. 5. excipiat, Abrahamum eò tempore, quò *Esaias* illa (*Cap. LXIII.*) scribebat, posteros suos ignorasse, quippe in limbo constitutum : Est tamen illa falsa hypothesis de limbo : cum potiùs Abraham jam tunc fuerit in cælo. Neque juvat illorum causam, quod excipit *Belharmin.* Lib. I. de Sanctor, beat. cap. 20. *ignorare sanctos res humanas naturaliter, scire autem supernaturaliter ex revelatione divina.* Nempe illa revelatio probanda fuerat.

Quer. 7. An defuncti vel defunctorum animæ redeant & adpareant viventibus?

REsp. Negando. Ob eandem rationem, quod dicuntur *Januas claudere post sese* hoc in loco. Contrarium verò afferunt, qui adparationibus illis purgatorium volunt asserere, vel spectrorum actiones explicare. Prolixus est in allegandis exemplis ex historia, ubi vel homines defuncti vel defunctorum animæ adparuerint, *Gaspar Schottus* in *Physica curiosa* Lib. 2. Cap. 23. 24. 25. & 26, imò Cap. 27. indicare audet.

audet *νεκρῶν*, quibus dignosci adparentium spectrorum habitus & naturæ possint, sintne homines defuncti? an angeli? sintne iidem spectra diabolica? an beata? sed ejus & aliorum rationes discutiemus in conflictu. Errorem eorum, qui apud Ethnicos statuebant oberrationem animæ circa sepulcra, propter quam gladiatorum sanguinem fundebant, vel candelas etiam accendebant intra tumbas, confutat vocabulum *ἀπὸ γῆς* Apoc. XIV, 13.

Quær. 8. An hic locus Esaiæ XXVI, 20. juvare possit causam chiliasticam?

Ita credit M. Gottlieb Heiland, (seu Henricus Gebhard) in Declaratione verosimilium Prophetico-historicorum. ubi ait: p. 80. *Israelis conversio & reditus in terram suam utriusque Anti-Christo magnam cladem, & inde imperio nostro Romano-Germanico, ceu planta ferrea pedis statua Danielitica in finem usque mundi duratura, ob datam tranquillitatem & universæ Ecclesiæ Christi quadam iterum ceu halcyonia ad tempus quoddam allatura sunt. Id quod colligo ex Esaiæ XXVI, 20. 21. item Esaiæ XXVII, 1. 2. 3. Verum enim verò à certitudine iræ divinæ contra Tyrannos ad certitudinem regni chiliastici N. V. C. Cùm enim circa extremitatem dierum pietas fidesque in terris rarissima futuræ sint, Matth. XXIV, vers. 22. fieri utriusque potest, ut DEUS quoque Tyrannis pro aliorum flagello utatur, (quale se *Attila* vocitabat apud *Job. Latum Comp. Hist. Univ. p. 127.*) donec effuderit iram in capita suorum hostium. Deinde quod ad *Esaiæ* Cap. seq. XXVII, 1. 2. 3. attinet, non apparet, quâ ratione ostendi possit, quod per *Leviathan directum* intelligi præcisè debeat Anti-Christus Orientalis, & per *Leviathan tortuosum* Anti-Christus Occidentalis divinius*

destruendi? nonnulli enim de Rege Babylonie, robusto instar *vectis*, astuto instar *serpentis*, noxio instar *draconis* verba explicant. Tremellius verò ac Junius, quibus etiam accedit B. Glasius Rhet. S. Tract. I. Cap. II. p. 335. de omni *sublimitate* intelligunt, quæ aduersus Deum se extollit. II. Cor. X, 4. 5.

CAP. IV.

OSTENDENS USUS PRACTICOS

&

I. Homileticos.

Didascalia possunt ex his verbis peti (1.) de *Providentia speciali*, quâ Deus complectitur pios circa tempus iræ imminētis. Eos enim non præmonet tantum; sed etiam ad secreta cubicula & dormitoria revocat, (2.) de *statu piorum post mortem quieto & securo*, qui (a) transeunt in cubicula, (b) elaudunt januas, (c) occultantur, ne quid molestiæ ex rerum secularium perturbatione trahant. (3.) de *felicitate piorum*, quæ constat cum ex adpellatione, quâ dicuntur Dei populus, tum ex Dei tutela. (4.) de *brevitate temporis*, quod intercedit inter animæ & corporis reduntionem. Est enim momentum tantummodò in oculis Dei. (5.) de *summa Dei omnipotentia*, & pios defendentis & impios subvertentis.

Elenchi institui possunt (1.) contra *Empedias*, quibus piorum abitus pro exitio reputatur, Sap. III, 3. Illi enim veniunt in cubicula sua. (2.) contra *Pontificios*, qui animas migrare putant in purgatorium. Nam in cubiculis, ad quæ deducuntur, sunt ab indignatione securæ: in purgatorio autem ejusdem sensu anguntur, Item quando putant,
vel

vel defunctos vel defunctorum animas posse ad nos spectro-
rum habitu redire, cum tamen januæ cubiculorum h. l. di-
cantur clauæ. Plures Elenchos vide in quæstionibus.

Patria nos monet, ut (1.) *studeamus esse populus Dei*.
Ratio est, quia sic Deus ab ira nos protegit, & ad secura re-
ceptacula nos transfert. (2.) *Deo nos evocanti promptè pa-
reamus*. Ipse enim præscit iram futuram, & novit, quâ ratio-
ne nostræ saluti consulat, etiam in morte. (3.) *Deo vin-
dictam relinquamus*, placitâ *εὐφρασίᾳ* contenti. Ipse enim
fortissimus, uno momento confringere hostes; & sapien-
tissimus, de nostra salute decernere potest.

Consolationes (1.) *adversus dubitationem de pace Ec-
clesiæ*. Illa enim firma est, si cogites, te esse in populo Dei,
qui est Princeps pacis. (2.) *adversus metum mortis & te-
nebras sepulcri*. Nam ibi reperies cubiculum à Christo præ-
paratum, in quo securus ages. (3.) *adversus tristitiam
ex longinquitate latitationis in sepulcro*. Erit enim mo-
mentum, & postquam ira contra Tyrannos præterierit, a-
mœnissima animæ & corporis sequetur redunitio.

2. Morales specialiores, seu spectantes ad casus Conscientiæ.

Hic Quær. 1. *Ἄν ἰσχυροὶ καὶ ἡσυχασταὶ
sint capaces?*

Resp. Neg. Quia non Domini, sed sua voluntate ab-
eunt: neq; adeo boni in nostro textu promissi spem habent;

Quær. 2. *Ἄν τις ἴσχυρος ἴσως
possit mortem sibi optare?*

Resp. Ex pio desiderio, cubicula à Christo præparata
occupandi & Christum videndi, exemplo Pauli *Phil. 1. 23.* non
ex tædio calamitatum; quippe in quibus expectandum est
mandatum Domini: juxta h. l.

Quær. 3.

Quær. 3. *An impiis, in manifesta atque enormi impietate mortuis, sit concedenda honorifica*

Sepultura?

Resp. Negando. Neque enim pertinent ad populum Dei, à quo, sicut in vitâ sese separarunt, ita segregari debent in morte à cubiculis fidelium.

Quær. 4. *An effodiendi mortui, qui in sepulcris sonum edere & præmor dere linthea dicuntur?*

Resp. Negando. Ne quid detur superstitioni. *Esaias* ait, mortuos debere esse occultatos h.l.

Quær. 5. *An concionator de hoc vel illò individuo pro certo (v. gr. in concione tenebri) affirmare possit, quod dormiat in cubiculis beatorum?*

Resp. Absesse debet assentatio, & potius locum habere accurata moribundi *δοκιμασία*. Quod si verò concionator eò, quod in homines cadit, iudicio noverit, mortuum ex populo Dei fuisse, h. e. verâ fide præditum; potest sanè ipsum indubitato beatum prædicare.

Quær. 6. *An facinorosorum corpora sint in rotis vel patibulis relinquenda neq; sepelienda?*

Ratio dubitandi est, quia illi homines per poenitentiam supplicio præmissam ad populum Dei sunt reducti: unde ad sanctorum quoque cubacula admittendi videntur. Resp. (1.) Evangelium Politicas Constitutiones non tollit. (2.) ejusmodi spectaculum inservit usui publico, nempe ut alii à similibus flagitiis deterreantur. Lex autem, quæ contraria videtur *Deut. XXI, 22.* est tantum Judaica forensis.

Concludo nunc, ut incepti hunc laborem

J. N. J. A. M. C. A.

Ad
Eximium & Humanissimum
DN. CHRISTIANUM ZEIDLERUM,
Dissertationis hujus Auctorem
Amicum & Fautorem honorandum
ac dilectum.

Vivere libertas mundo: Mors carcer habetur.
Vivere quisque cupit. Nulla sepulcra
placent.

Tu mortis præfers, mortali, habitacula vitæ.

Sic mors libertas; vivere carcer erit.

Nempe sacer vates, non mundi lippa propago,

Te ZEIDLERE docet: Tuq; ita porrò doces.

Atq; hæc, quæ tristis mundo est, meditatio mor-
tis,

Præmia curarum & gaudia certa feret.

gratulab. cum voto. scrib.

PRÆSES.

CHRISTIANUS ZEIDLERUS

ἀναγρ. absq; Aspir:

In eruditis Sacer Zelus.

Enod.

In eruditis est Viris Sacer Zelus,
Non Flabra Gloria cadiva captandi,
Sed improbos Noctu Diuque Sudores
Sanctè DEOq; Ecclesiæq; litandi;

Nec

*Nec hic Labor Fanore Quietis orbatur,
Zeidlerus anagrammaticus est mihi Testis,
Qui velitari Mortuos quiescentes
Propheticis Cameris resuscitat Nisu,
O ! faxit Heros Ille, qui foribus arctis
Anxia refecit Corda Pace Paschali,
Beatque nunc adhuc Quiete Credentes,
Ut Zelus hic Sacer coronet Autorem,
Et Fronce Menteque undiquaque tranquilla!*

Quod auguratur o sds os

M. CHRISTOPHORUS Klesch, P. L. C.
ad D. Gregor. alias Mercator. Pastor. Erfurt.

TE studiis semper summo, ZEIDLERE, labore
Omnis habet TIBI nunc incubuisse fidem,
Dum Cathedram scandens Specimen præstabile ponis,
Ac altercando verba diserta refers.

Hinc precor, ut pergas, quo tandem magnus Apollo
Dulcis amice TIBI, laurea signa donet.

*Sic Dn. Christiano Zeidlero, amico suo di-
lecto adplaudabat*

G. S. P. C.


Fortiter hac cum Respondens doctissime, Zeidler,
Theologum scandis pulpita celsa, precor:
Ex votò cedat labor, inveniaturque Patronos
Permultos, tandem & premia certa ferat!


*Amico suo estimatissimo, Auctori hujus Disputa-
tionis certissimo de egregio eruditionis sua
specimine boni ominis ergo gratulabatur*


JOHANNES CHRISTOPHORUS Gebhardi,
Lobensteinio Variscus, ad D. Thom. R. Erfurti.


F I N I S.

Cap. 3. Quæst. 8. lin. 8. leg. optatam pro ob datam.









(15)

ræpta fuerunt, denuò sibi vendicarunt, ita pastoribus, sine autoritate & consensu Manquam, ut loquantur, copulare. Liberum t relinquitur, vel à solo Magistratu, vel à sente Magistratu & potestatem dante, co-

que summus Scopus Magistratus est, non se us Ecclesiasticis, sed res ad fidem spectantes & arbitrio cujusque committere: ideò in sa- oiunt quicquam neque prohibent, sed solum iplinam tuentur, ne quis blasphemias & ablicè exerceat, aut Remp. perturbet. Qui- Jesum Christum secundum Scripturas pro- c absque scandalo pacificè se gerunt, illi onibus discrepent, ac errores suos habeant, tur, & ut se mutuò quoque tolerant, ad-

imis conantur *Presbyterianos & Independentes* cem & tolerantiam adducere, eo præcipuè uòd cum utriusque *Orthodoxam fidem profiteantur,* propter solum *diversum Ecclesiæ regimen collidi.* formatas *trans mare Ecclesias ad eandem for-* quasdam *adductius, remissius alias regi.* Ne- t pacembrevi coituram, utrisque multum vore & obstinacia *quotidie remittentibus,* que erroribus suis, ad modestiam pronis.

De

